



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Ab. 52. i



10

I. N. J.  
DISPUTATIO X.  
**SELECTARUM**  
**THESIUM**  
**JURIS CERTI & CON-**  
**TROVERSI**

Ex Tit. j. Quib. mod. Testam. infir. d. in-  
offic. Testam. d. Her. Qual. & diff. iisqve titulis  
π. C. J. Th. βασιλικ. & ξ. respondentibus.

*Quam,*  
PRÆSIDE  
**JOHANNE CHRISTO-**  
**PHORO Volk/**  
J. U. D. & P. P.  
**LUCAS MICHAELIS,**  
Ellrichiâ Halberstadiens.  
RESPONDENS  
publicè defendet  
**IN AUDITORIO MAJORI**  
A. c. l. l. c. LXXXI.

---

REGIOMONTI.  
PRÆLO REUSNERIANO.



**PRÆNOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,  
CONSULTISSIMIS  
NEC NON GRAVISSIMIS  
VIRIS**  
**DNO. JOHANNI REICHARDO  
F E H R /**  
Sereniss. ac Potentiss. Elect. Brandenb.  
ut &  
**Sereniss. Principis Marckgravii LUDOVICI  
Illustrissq; Principisæ RADZIVILIÆ  
Consiliario Dignissimo.**  
**DNO. PHILIPPO JACOBO  
ZIMMERMANN,**  
Sereniss. Elect. Brandenb. Consiliario  
nec non Prænobilissimi Judicii  
Aul. Secretario.  
**DNO. GEORGIO DIT MER,**  
Scabinatus Palæopolitani Assessori  
Gravissimo.  
**Dominis suis, Mæcenatibus & Patronis  
omni honoris & observantia ad cymbam usq;  
colendis**  
Has qualescunq; pagellas in meliorem sui suo-  
rumq; Studiorum commendationem eo, quo  
decet, animi cultu humillime  
dedicare debuit  
Lucas Michaëlis.

## I.



Itulis j. Quib. mod. test. infirm. d. inofficiosa  
Testamento. d. H. Q. & D. respondent in π.  
Lib. 5. Tit. 2. Lib. 28. Tit. 3. 4. 8. Lib. 29. Tit. 2.  
in C. J. Lib. 3. Tit. 28. Lib. 6. Tit. 27. 30. 31 C.  
Tb. L. 4. T. 4. in Libb. βασιλ. L. 35. T. 7. 14. 18.  
in ξ Lib. 3. Tit 26.

II. Continentur in his titulis i. quibus  
Testamentum infirmatur nullum vel irritum  
fit, vel rumpitur, t. t. j. Quib: mod: Test: infirm: t. t. π. C. J. & j. d.  
inoffic: Testam: t. t. π. d. Injust. rupt. irr. fact: Testam: d. his qu. in  
Test: del: in C. Th: l. 3. 4. 6. d. Testam: t. t. βασιλ. d. his quæ in Te-  
stam. cancell. sunt vel induct. vel delet. c. 16. ξ d. Testam: (2.) De  
aditione hereditatis necessaria vel voluntaria t. t. j. d. Her: qual: &  
diff: t. t. C. J. d. Nec: Serv: Her. inst. t. t. π. d. Acq: vel om: hered. t. t.  
C. J. de repud. vel abstinend. hered. t. t. βασιλ. Quib: mod: hered:  
acq: vel amitt. t. t. π. C. J. & βασιλ. d. Jur. delib:

III. Ipsò jure infirmatur Testamentum si irritum fiat, vel  
rumpatur. Irritum fit diversis modis vel quando persona testatoris  
se merè passive habet in capitis diminutione tum maxima tum  
media quia dubium non est eum qui vel libertatem amittit cum o-  
mnibus fortunis, vel qui Civitatis jura perdit hoc jure privari. Ex-  
cipiuntur tamen ab hostibus captus, cuius Testamentum jure postli-  
minii vel legis Corneliae privilegio conservatur, & damnatus qui ex  
Principis indulgentia restituitur. In minima capitis diminutione  
considerari debet Emancipatio quæ quidem, cum olim per imagi-  
narium venditionem fieret etiam irritum videbatur facere Testamen-  
tum arg. l. miles 22: π. d. Testam. mil. §. 5. j. eod. ubi Vigl. n. 4. & seq.  
non tamen fiebat hoc modo irritum l. i. §. Sed si filius π. d. B. P. se-  
cund: tabb: cum ad castris, de quibus filius disposuit, non exten-  
datur emancipatio, quod Jus ad adoptionem quoq; trahendum quia  
transiens in avi adoptantis potestatem retinet jus in castris peculio.  
Arrogatione non fit irritum sed rumpitur vel rescinditur Testamen-  
tum. Præterea irritum fit, cum heres scriptus non adiit heredita-  
tem ut cum heres esse non vult nec illum Substitutus sequitur vel qui

A

ante

**A**nte Testatorem vel conditionis eventum decessit §. 2. j. Qv. mo.  
**T**estam: *Insfr.*: quô casu destitutum dicitur §. 7. j. d. Her. qv. ab. In-  
test. def. Vel si Testator sibi mortem ob metum supplicii concivit l. Si  
quis filio 6. §. ejus qui π. d. Inj. rupt. irr. Vel si heres institutus te-  
statorem captum non liberaret N. 115. c. 3. *Auth:* Sic captivi C. d. Episc.  
*& Cler:* Vel etiam si heres testatorem non compotem mentis custo-  
dire neglexerit. Rumpitur Testamentum Agnatione sui heredis,  
qui neq; institutus neq; exheredatus, nec sustinetur tale testamentum  
nativitate posthumus ruptum vi clausulæ codicillaris, quia his acces-  
soriis clausulis principalis dispositionis natura mutari non potest, nec  
pater filio extraneum præferre velle præsumitur l. cum acutissimis 30.  
in fin. C. d. Fidei Com. Gail. 2. o. 114. n. 6. *& seqq.* Facto Testatoris  
evertitur Testamentum variis modis Testamenti facti incisione can-  
cellatione aut sigillorum revulsione l. i. & 2. π. d. his qu. in Testam.  
del. l. fin. π. d. Inj. rupt. l. 12. l. pen. C. d. test. t. t. Βασιλ. d. his que  
in Testam: cancell. Si Testator aliud Testamentum condat l. 16. π.  
d. Injust. rup. irr. si se post factum testamentum arrogandum dede-  
rit, quia ita cum capite fortunas quoq; suas in domum & familiam  
alienam transfert l. penult. §. 2. π. d. B. P. secund. tabb: Vel si Te-  
stator facto testamento adoptet suum heredem in Testamento præ-  
teritum l. 23. pr. π. d. Lib. & posth. l. 8. π. d. inj. rupt.

IV. Testamentum quod Testator juravit se non revocaturum  
quidam irrevocabile statuunt, quia juramentum actum alioqui mu-  
tabilem firmum & irrevocabilem efficit c. cum contingat de jureju-  
rando. Nam & pactum quo Jurisdictio prorogatur libera volun-  
tate paciscentis ante litis contestationem dissolvitur l. Si convenerit  
π. d. Jurisd. Et tamen si pactum illud, juramento præstito, fiat,  
mutari voluntas paciscentis non potest Ang. Fulgen. Paul. Alex. Jaf.  
in d. l. Si convenerit. Guiel. Durand. in Spec: tit. d. instrum: edit:  
§. compendiose. Hostiens. in Summ. tit. d. Sepult: §. an licitum.  
Alii putant juramentum sortiri naturam istius actus cui adhæret se-  
cundum l. fin. π. d. Lib. caus. c. quemadm. d. Jurej. l. fin. π. Qui Sa-  
risd. cog. l. Sed si possessori §. item si juravero π. d. jurej. Tiraq. in  
pr. l. Si unquam C. d. Revoc. Don: Ex his ita subsumunt: Juramen-  
tum igitur in Testamento præstitum non reddit actum irrevocabi-  
lem, cum ejus propria Natura sit, ut ad mortem usq; libere mutetur.

V. Idem



V. Idem de Donatione mortis causa scribit. *Decius cons. 305.*  
eam præstito juramento factam posse revocari ex Donantis poenitentia, habet enim dicta Donatio tacitam conditionem nisi Donantem poeniteat secundum *I. quæro §. inter Locatorem n. locat:* ubi locator promittens se conductorem domo non expulsurum esse promissis saltem sub hac conditione stare tenetur si Conductor per biennium non cessaverit à pensionis Solutione. *Sed Tiraq. in I. Si unquam n. 142. C. d. Rev. Don: Galii Dd.* ab eō citati notant in *I. fin. C. d. non num: pecun: Juramentum intelligi juxta jurantis consensum siquidem jurans Contractum literarum pecuniæ; solutionem promittenti, quamvis obligationi consentiat, sub spe tamen futuræ numerationis consensit, & ob illam causam, quod si causa illa cessaverit numeratione non secuta sine ullo Conscientiæ scrupulo non numeratae pecuniæ Exceptionem objicit.*

Eadem ratione responderi potest *I. quæro §. inter n. Loc.* cum ibidem promittens ob spem pensionis exsolvendæ in promissionem consentiat, quæ solutio si intra biennium cessaverit à promissione liberatur. Nec promissio temere accessit quia ea non adjectâ potuisse Conducorem ante biennium expellere *Bartolus Galii Dd. ad h. I. statuendum itaq; est juramentum quod voto captandæ mortis accedit legibus & canonibus repugnare c. 2. c. ne captandæ d. concess. præbend. in VI. Juramentum vero quo quis testandi facultatem sibi meti ipsi tollit, esse licitum, & per consequens servandum *Covarr. in secundâ Rub: part. d. Testam. Rev.* Et licet hujusmodi juramentum possit occasionem mortis captandæ dare, inq; hoc accidenti possit cum pacto *I. f. C. d. pact.* convenire, non tamen propterea enervatur, quia & ex Substitutionibus & ex pactis Confraternitatum talis oritur metus, quæ tamen licet exercentur. Et licet pacta de Successione ob metum captandæ mortis prohibita esse videantur, aliam tamen rationem addit *Covarr. d. I. n. 50.* quod turpe sit agere de bonis istius cui succendendum est forsitan, eō vivente ac non consentiente *I. ex eo 4. C. d. inut. stip. I. fin. I. pactum quod dotali C. d. pact. I. pactum dotali C. d. Collat:**

VI. Mos vetustatis in Publicatione Testamenti retinendus est, quem si quis mutare voluerit, irritam mortuorum faciet voluntatem *I. 4. C. Th. d. Testam: I. 18. C. J. eod: in quâ Justinianus quædam*

verba mutavit, & loco referari substituit reservari *Cont. lib. 2. sub-  
cif. c. 16.* Reservandi tamen vox non inconcinnè defendi potest, eo-  
dem fere in sensu, retento publicationem Testamenti jàm olim  
prisco more apud Censuales fieri solitam iisdem reservandam esse,  
neq; ad alios transferendam, vetustas enim & mos antiquus in hu-  
jusmodi constitutionibus, quibus actus officiorum & professionum  
distingvuntur, nè alii in aliorum actus involent pro Regula & fun-  
damento obtenduntur. Nec infirmatur Testamentum sub prætextu  
Principis vel heredum institutorum, nec præ perfecto Testamento  
scripto anteriore nuncupativi Testamenti ulla vis est apud Principem  
& potentiores, quamlibet solenne sit aliud Testamentum quamvis  
sufficienti numero testes sint testimonium deponentes defunctum si-  
bi Principem heredem nuncupasse *I. 5. C. Th: d. Testam: l. 20. C. f.  
eod.* Huic Theodosii Constitutioni benignissimæ adversabatur in-  
civitas Domitiani, quô authore alienissimæ hereditates confisca-  
bantur, vel unô saltem existente, qui diceret, audivisse se ex defun-  
cto, cum viveret heredem sibi Cæsarem esse *Svet. in ejus vit. c. 12.*  
Ratio *Theod: Constit:* est, ut præcideretur calumniandi facultas ex  
principali Majestate & potentiorum autoritate ut in simili loqui-  
tur *Paulus in l. pen. ff. d. H. I. § 5. Sent. 12. §. 8.* Nec abludit ab eâ  
quod Pertinax Oratione sua expresserat, se non ex nudâ voce he-  
redis nomen admissurum *§. ult. j. Quib. mo: test. infir.* Etsi Justi-  
nianus hanc Constitutionem in *l. 20. C. d. test. rejecerit*, Impera-  
toris tamen sensum genuinum & primigenium non servavit. Sed  
resecavit *d. Constit:* verba: *maneat arbitrium & seqq.* Deinde ver-  
bis: *Nemo itaq; relictus, vel Legibus ad Successionem vocatus no-  
strum vel potentium nomen horrescat adjecit nomen heredis Legem*  
*6. C. Th: d. Testam:* ne valeat Testamentum ante decennium scri-  
ptum abrogavit *Justin: in l. sancimus 27. C. d. Testam:* quæ longe  
prægnantoribus quam *l. 6. d. C. Th.* nititur.

VII. An Agnatione posthumus rumpatur Testamentum, cuius  
Parens per biennium cum febrili affectu, articulorum doloribus ali-  
isq; morbis conflictatus, & ante quinquagesimum annum postquam  
per aliquot menses saltem valetudini pristinæ restitutus & denuò  
acutâ correptus ægritudine vitam cum morte commutavit, dubium  
videtur esse; Cum maritus longo temporis spatio ita graviter de-  
cumbens

cumbens ob infirmitatem ex ægritudine contractam non præsumatur coire, & aliquid procreare posse. Sed hæc præsumptio nequam ferenda est, quia impotentia ex morbo contracta est accidentalis & facile amoveri potest, præsertim in eō qui adhuc est ætatis vegetæ, vel non adeò gravis ut coitus impotentiam inducat nam & in sexagesimo quinto plurimos generare ait *Arist: lib. 5. d. Hist: Anim: cap. 14.* Nec omnes morbi potentiae coëundi sunt impedimento, cum ii qui morbis articularibus & arthritide laborant summos Veneris stimulos sentiant, non quidem simpliciter ex morbi natura, sed plerumq; ex calore defluxionum ad inferiores partes per lumbos & Renes. *Holler. in præfl. c. 63. ex quô Joann. Bened. Sibald. in suâ Geneanthrop: l. 2. tr. 2. c. 10.* Quod eo magis locum habebit in præsenti q. ubi parens per aliquot menses pristinæ valedicendi restitutus Iuxori suæ ex quâ posthumus natus licet semel tantum debitum maritale præstiterit, quia ad generationem non requiriuntur frequentatio actus, ex uno enim coitu non saltem una sed multiplex generatio fieri potest *Hippocr. in lib. d. Nat. puer. n. 14.* Et sic iniqve de suppositione partus matri posthami moveretur quæstio. *Paul. Zacch. q. m. l. conf. 23.*

VIII. Quid vero dicendum de posthumo, qui post horæ quadrantem matris ventre execitus quæ cum grida esset, lethali morbo correpta septimo mense vitam cum morte commutavit, de hoc omnino dubitari potest, an Testamentum rumpat? quia mater ex lethali morbo Chronico decessit, qui tantundem damni infert spatium plurium hebdomadum aut mensium, quam acutus brevi aliquorum dierum spacio, cum uterque vel lentè vel citò ægrum perimat. Matre vero ægrotante ægrotavit quoque fœtus *Hippocr. l. d. Nat. puer. n. 21. & 35.* quia sanguine deterrimo abundat, quô mater fœtum in utero nutrit, nec tantum fœtus hoc sanguine pravò nutritur sed vivit eâ ipsa vita ipsius matris ut habetur *d. l. n. 21.* Unde necesse est fœtum eosdem affectus pati, quos patitur ipsa mater ergo matre morbo lethali afficta, necesse est etiam fœtum morbo lethali affligi & matre pereunte necessarium est, ut etiam fœtus pereat superveniente adhuc molestia sectionis. Inde præsumptio militat immaturi intempestiviqe partus cum mater in puerperio decessit *Menoch. d. præsum. 6. præf. 52. n. 8.* Nos tamen talem fœtum exe-

etum & vitalem esse & Testamentum rumpere statuimus, sic enim  
expressa sunt l. 12. π. d. Lib. & posth. verba: *Quod dicitur filium  
natum rumpere testamentum, natum accipe, et si exsecto ventre edi-  
tus sit, nam & hic rumpit Testamentum scil: si nascatur in potestate.*  
Eiusmodi vero exsectum licet tantum septimestrem vitalem quoq;  
esse probat. *l. Septimo π. d. Stat. Hom. Tiraq. in l. Si unquam C. d.  
Revoc. Don. Consentunt quoq; omnes Philosophi & Medici Plato 5.  
d. Rep. Arist. d. Hist. Anim: l. 7. c. 4. Plin. nat. Hist. lib. 7. c. 5. Hippocr.  
& Galen. in lib. d. Sept. part. vel ut l. 3. §. ult. π. d. Su. & Leg. Hered.  
dicit, De eō, qui centesimo octogesimo secundo die natus est Hippocra-  
tes scripsit, & Divus Pius Pontificibus rescripsit justo tempore videri  
natum. Sed 182. dies menses solares, quorum singuli 30. integris die-  
bus constant, constituunt sex, & duos insuper dies, cuius rei ratio-  
nem reddit Paul. *Zacch. in q.M. L. lib. 1. T. 2. q. 2. n. 36.* sequentem:  
Partus ut hic ex Hippocr. velut quædam crisis est, crisis autem in  
morbis fit vel per lunarem motum, vel per Solarem; Per lunarem  
motum fit crisis in acutis morbis, quia eorum motus celeritate ad-  
æquant lunæ motum; Per motum vero Solarem chronici morbi ju-  
dicantur, æquiparatur enim eorum motus magis motui Solari. Par-  
tus ergo cum sit veluti quædam crisis, iisdemq; diebus judicetur  
quibus ipsi morbi, ejus crisis assimilatur magis crisi morborum chro-  
nicorum quam acutorum cum motus ejus tardus sit, at sicuti crises  
in morbis acutis tunc salvæ sunt, cum fiunt quatuordecim quæ me-  
diatas est motus circularis Lunæ, sicut motus partus tunc salvus est,  
cum sit in medietate ipsius solis h. e. in medietate anni, quæ dies  
comprehendit 182. Nulla igitur consequentia est mulier septimo men-  
se post conceptionem lethali morbo correpta periit seu mortua est.  
Ergo quoq; posthumus exsectus non est vitalis, quia, uti dictum ex  
omnium sententia constat partum septimestrem vitalem esse, & apud  
optimos authores legere licet parturientes mulieres sæpe decessisse  
partu tamen superstite salvoq;ve. Sic Rahel Jacobi Uxor pariens  
Benjamin', in ipso partu animam exhalavit; ipse Benjamin vitalis  
editus est *Gen. 35*. Julii Cæsar's filiam & ipsius Pompeji Uxorem in  
puerperio expirasse & partum aliquot dies vixisse docet *Plutarch. in  
Vit. Pompej.* in quâ sic legitur: *Cum ingens cieretur tumultus & cursi-  
tatio fieret à Servis, qui vestē cruentā domum ferebant: force uterum**

*Julia*



*Julia gestans confectâ rogâ qua crudore erat respersa defecit, & agre recreata est. Ex illa turbatione & motu abiit. Ita ne illi quidem qui maximè improbabant conjunctionem cum Cæsare Pompejz, reprehendebant in eô uxoris amorem at cum iterum prægnans esset, filium enixa ex puerperii doloribus expiravit. Licebit itaque argumentari, ut si partus non sit vitalis matri aliquid contigisse, sed non è contrario, ut si matri contigerit, sicut febris, saltus, clamor, timor, &c. ea accidentia partum non vitalem reddidisse Menoch. d. l.*

*& p. n. 23.*

IX. Posthumus quoque, de quô mater asserit eum non ex marito, sed adultero suscepsum esse, rumpit Testamentum, quia creditur vel præsumitur filius natus in domo, ex marito, cui accessus ad uxorem patuit, genitus P. Zacc. qu. med. leg. Decis. 28. n. 5. & 6. Nam in Uxorius vel mariti facultate non est suis assertionibus tollere præsumptionem, quam Lex in favorem filii introduxit. Aliud tamen dicendum foret, si hæc præsumptio aliis conjecturi tolleretur & assertio aliis præsumptionibus firmaretur e. g. si maritus per decennium absens fuit & domum reversus anniculum invenit, vel nonô in aliò loco mortuus relinquat Uxorem ex alio gravidam & filium n. d. His qu. su. vel al. l. i. §. Idem Julianus n. d. Lib. Agnosc. Vel si constaret virum non potuisse ob aliquod impedimentum generare l. Si pater §. in arrogationibus n. d. adopt. Si quis posthumos in pr. d. Lib. & Posth: Vel si impotentia coeundi manifesta naturalis & perpetua in marito fuerit, vel si etiam maritus potens mulier vero sterilis tam diu donec cum adultero rem habuisset, vel si maritus rarissimè Uxorem in domo adulteri habitantem accessit, si etiam plures aliæ contrariæ conjecturæ hanc præsumptionem eliderent, alias vero cessantibus hisce contrariis conjecturis viget præsumptio pro filio; quo circa rectè scripsit Menoch. in lib. 2. d. Arbitr. Jud. qu. c. 89. n. 27. & lib. 6. præsumpt. 53. n. 8. & seqq. Lucinum Vice Comitem male privatum fuisse Mediolanensium Principatu, ob assertionem matris Elizabethæ se eum non ex maritô sed adultero concepisse. Dicit etiam stultum fuisse illius Regis filium, qui nimis credulus matri asserenti, eum ex Rege non fuisse proc eatum, fidem adhibuit, & conscientia motus Regno se abstinuit. Dictus author sibi persuadere nequit nostræ ætatis Principum quemquam



quam sibi adeo male consulturum esse ut hac de causa se posteros-  
que suos imperio privaret, sed *putat* eos magis Julium Cæsarem  
imitaturos dicentem: *si violandum est jus regnandi causa vio-*  
*landum.* Quanquam quoad hoc ultimum minus juridice de Prin-  
cipibus *præsumat.*

X. Liberis jus irrita reddendi Testamenta competit quia  
sunt domestici heredes quasi proprii & domini neque aliunde ac-  
citi tanquam sui ipsius heredes, quod imperito Juris Civilis absur-  
dum videri posset quomodo aliquis sibi ipsi heres existere queat?  
sed haec absurditas tollitur fictione juris cognitâ, quâ Dominus exi-  
stens filius non acquirit hereditatem, sed in illum fit saltem con-  
tinatio dominii, haec heredis qualitas nomine Suitatis designatur,  
quod apud veteres Grammaticos reperire non licet, sed dicit *Vigilius*  
*ad tit. j. d. Her: qual: & diff:* illud usu, doctrinæ gratia, paulatim  
receptum esse, quô in casu neminem Grammaticorum canonibus  
adeo superstitione obstrictum esse putat, & adscribit verba *Rud:*  
*Agr. ex Epistol. ad Al. Heg:* dicentis: *Derivationibus & indiciis*  
*monstrare recentibus abdita rerum necessarium esse.* Significat ve-  
ro hoc nomen jus quod ad liberos tantum qui in potestate sunt re-  
fertur *I. 6. §. 5. π. d. A. H.* qui post fata parentis non fieri heredes,  
sed existere, non hereditatem adire sed se immiscere, non repudiare  
sed se abstinere, ac si heredes sui & necessarii dicuntur, quia jure  
antiquo retinere hereditatem cogebantur *I. 11. d. Lib. & Posth: I. 57.*  
*d. A. H.* & ignorantes & inviti sine ullo vel suo vel Prætoris facto  
etiam ante apertas Testamenti tabulas ipso jure sine aditione vel  
gestione heredes sunt *I. pen. §. pen. D. d. Bon. Libert. I. 3. §.*  
*ult. D. d. H. I. I. in Suis 14. D. d. Suis & Leg. I. licet 8. I. suum 13.*  
*C. d. Jur. delib.* Furiosus licet voluntate careat, tamen suus heres  
existit *I. ult. §. I. C. d. Cur. Fur.* Quô vero tempore possit  
Suus nasci heres? *I. 12. D. d. Stat. Hom: I. 3. §. f. d. Suis & Leg:*  
docent, totam vero hanc Suitatis materiam in 10. qq. pertractat *An-*  
*gelus de Periglis Perusinus in tract. d. Suit:*

XI. Extranei heredes se non immiscent hereditati sed eam  
adeunt se non abstinent sed repudiant, nee sunt necessarii sed volun-  
tarii quia non sunt subjecti arbitrio testatoris, ideo facultatem ha-  
bent deliberandi intra certum tempus an hereditatem sibi delatam  
adire

adire an repudiare velint. Tempus illud nulla fuit certa Lege definitum, aut Prætoris Edicto, sed relictum arbitrio jus dicentis l. 1. §. ult. π. d. jur. delib. sed moram negetibus Prætor spatiū temporis præfiniebat, intra quod ni adiissent penitus excludebantur, & hereditas vel ad Substitutum vel ad Legitimos deferebatur l. 69. π. d. A. H. Hoc jus deliberandi olim tantum Extraneis, sed hodie etiam suis competit, cum beneficio Prætoris se abstinere queant hereditate l. 19. C. J. d. t. & §. Extraneis j. d. H. Q. Tempore pendente non solum Creditoribus, sed etiam heredibus institutis Prætor vel Magistratus subvenit, iisq; copiam facit instrumentorum inspiciendorum, unde consultare possint de hereditate adeundâ, temerarii siquidem hominis foret sine deliberatione eam, quam semel agnitam repudiare non licet, adire l. 5. π. d. t. l. ult. §. Sin autem in s. C. cod. & inspiciendarum & aperiendarum & describendarum tabularum datur facultas l. 1. & 2. π. Quemad. Testam. Cum vero predictum deliberandi jus heredibus æs alienum latens ignorantibus non satis prospiceret l. 10. & ult. C. cod. eis plenè prospectum per confectionem Inventarii, cuius & conficiendi formam solennitatemq; describit l. ult. C. d. t. Sed non recte dicitur à Joachim. Stephan. ad N. 158. Inventarii Confectionem introductam, sive substitutam esse in locum juris deliberandi, quasi hoc sublatum esset, cum tamen Justinianus integrum reliquit jus deliberandi, ut ita hodie etiam non minus quam olim quilibet eo uti, si hoc velit, possit, inq; electione heredis est, an beneficio Inventarii, an vero Jure deliberandi uti velit, hoc tamen discrimine servatō, ut is, qui deliberandum sibi existimaverit, atque ita hereditatem adierit, veteri gravatini se supponat, & etiam ultra vires hereditatis Creditoribus obligetur adeundo, quippe quasi contraxit §. 5. j. d. Oblig. qv. ex qs. Contr. nasc. à quo onere liber est, qui Inventarium confecit, qui & beneficio Inventarii hereditatem adiit §. extraneis j. d. H. Q. & D. & l. ult. C. d. Jur. delib: Dicit quoque dictus Author, Imperatorem ad jus & solennia cretionum, earumq; dies obscuros & perplexos jus deliberandi mutasse, inq; ejus locum Inventarium introduxisse. Cretio dicebatur spatiū temporis datum heredi instituto ad deliberandum, utrum expedit ei adire nec ne? Ulp. infragm. tit. 22. Alciat. l. 3. Dispunct. c. 7. Circa quam jus & solennia

lennia variarunt. Heres siquidem cum cretione institutus intra-  
prefixum tempus adire debebat, alioquin solo tempore excludeban-  
tur. Ante spatum hoc finitum non poterat ab hereditate repellere,  
quamvis repudiasset. Alias vero heredibus sine cretione scriptis,  
itemque heredibus legitimis nullum erat praefinitum tempus adeun-  
di vel repudiandi, semel autem repudiata hereditatem adire non  
poterant, sed iis moram trahentibus, nec adeuntibus aut repudian-  
tibus Praetor spatum temporis praefiniebat, intra quod ni adiissent  
penitus excludebantur, hereditasque vel ad Substitutos vel Legiti-  
mos deferebatur l. 69. π. d. A. H. Postea cretionum solennitas pe-  
nitus sublata est l. 17. C. d. Jur. del. Ant. Perez. p̄elect. in lib. VI.  
C. Tit. 30. n. 1. 2. Sed non uti Steph. vult ab Imp. Justiniano, qui  
ulterius de cretionum jure sollicitus esse non potuit, utpote jam  
pridem sublato & abolito a Theodosio, qui illud prorsus amputa-  
vit, ut loquitur l. 17. cretionum C. d. Jur. delib: Rittersh. d. t. p-  
7. c. 21. n. 11. De Jure Saxonico se veteri gravamini non supponit  
is, qui confectionem Inventarii negligit, & hereditatem adit, si' mo-  
dò eandem jurato indicare paratus fit S. LandR. L. 1. A. 6. quod  
Juri Canonico quoque convenit Gloff. in c. quanquam 2. ibique  
Canonistæ per verb, prout patiuntur facultates d. Iusur. in VI. Ge-  
org. Schultz. in Synops. j. ad tit. d. Her. qual. & diff. Lit. E. quia  
parum aut nihil refert, an ab herede, an vero a Curatore bonorum  
Creditoribus & Legatariis satisfiat, cum hoc ipsum eis in commo-  
dum vergat herede eodem ipso renuntiante detractioni Quartæ ex L. Fal-  
cidia sibi competenti pr. j. d. L. Falc. N. 1. Johann. Brunnem. ad  
l. fin. §. 4. & seqq. C. d. Jur. Delib. Imò si cuivis Debitori con-  
cessa est Cessio Bonorum, nil obilitat, cur non hoc casu & heredi con-  
cedi debeat Carpz. p. 3. c. 14. def. 31. n. 9. & seqq. lib. 6. Resp. 73.  
n. 14. nec non Decis. 25. n. 1. Hanc sententiam generali consuetudi-  
ne receptam esse testantur non tantum in allodialibus, sed etiam in  
feudalibus Henning. Gæden Consil. II. n. 8. Carpz. d. l. Job. Philipp.  
Decis. Elect. 57. o. 1. 2.

XII. Actio, qua qui indignè exhereditati aut præteriti sunt,  
Testamentum rescindi postulant, tanquam factum contra officium  
pietatis l. 1. 2. 3. π. d. inoffic. Testam. seu Querela non semper ob-  
tinuit: nam L. XII. Tabb. libera erat testandi facultas, poteratq-  
pater

pater impunè filium exheredare absqve ullâ causâ, nec mirum cùm occidere liceret l. n. π. d. Lib. & Postl. Sed cùm plerunque parentes, novocalibus delinimentis instigationibusqve corrupti quosdam ex iis, quibus vel civili vel naturali jure suam hereditatem debebant, sine causâ exheredassent, affectum humanitatis prætermisissent, & contra sanguinem suum judicium tulissent, ideo receptum est, ut liberi parentum Testamentum inofficium accusare possent, & quidem ut Cujacius auguratur Lege Glicia ex inscriptione l. 4. π. d. Inoff. Test. quæ habet: *Gajus lib: singulari ad L. Gliciam lib. 2. o. c. 21. & lib. 14. c. 14.* Sed Ant. Augustinus existimat hunc locum mendosum eò quod in π. nusquam hujus L. Gliciae fiat mentio, neque hoc Gliciae nomen sit familiæ, ut in reliquis. Quam litem licet hic nostram non faciamus, probabilius tamen esse putamus, eam moribus introductam esse, quam in Jure Civili, quia in l. 8. in pr. d. B. P. notati Exheredatione Testamenta parentum non turbant, & datur querela Emancipatis Juri Civili incognitis l. 6. π. eod. Vel Jure Praetorio quia Praetor hereditatem nec dare nec adimere potest §. Quos autem j. d. B. P. Cœperunt enim homines sine jure certo queri apud judices de inofficio Testamento, ut eo tanquam alicujus insani rescisso vero heredi hereditas restitueretur l. Titia 13. d. Inoffic. Testam. l. ult. C. d. Lib. præterit. Querela dicitur hoc remedium modestiæ causa, quia contra personas conjunctas datur: alias ultimum adjutorium l. maximum vitium C. d. Lib. præterit. Propriè siquidem Actio non est, sed imploratio officii judicis, quia exhereditatis nihil debetur, quod in Actione requiritur pr. j. d. Act: ideo differt à petitione hereditatis, quæ est Actio propriè dicta §. 20. j. d. Act. Querela datur ob æquitatem & ex officio pietatis l. 2. π. d. inoffic. Testam. Petitio ex jure in re constituto Testamento vel ab Intestato l. 10. §. 1. π. d. H. P. Querelæ finis & effectus est rescindere Testamentum l. 8. §. 16. d. inoff. Testam: Unde & præparatoria arg. l. 17. 20. eod. Petitionis verò se heredem declarari, & ut hereditas restituatur, datur querela non nisi privatis hereditate, privatio præsupponit habitum, ideo necesse est quosdam existere, quibus jus alterius hereditatis consequendæ competit, ut certum sit primò querelam competere liberis l. 28. in pr. ut filio & filiæ adversus Testamentum patris vel matris l. 1. 6. 15. & 20. C. d. inoffic.

B 2

Testam.



*Testam.* quia iis videtur esse injuria facta, si iis omissis bona remotionibus & externis deferantur. Et hoc ipsum spectat non tantum ad liberos primi, sed etiam posterioris gradus. Competit etiam liberis exhereditatis non etiam praeteritis, quia illis est remedium possessionis contra tabulas, & sic ordinario locum habente cessat extraordinarium remedium. Legitimi tantum seu Adoptivi possunt etiam querelam movere, cum sint loco liberorum, non tamen adversus Testamentum, in quo Quarta D. Pii relictum est l. 8. §. 15. f. d. t. Naturales patris Testamentum non impugnant, quia is incertus est, matris tamen Testamentum querela evertunt l. 27. §. f. d. t. dummodo non sit illustris, & alios liberos justos habeat l. pen. C. Ad SC. Orphitian. quia in mulieribus illustribus, quibus castitatis observatio præcipuum debitum est, nominari spurious satis est injuriosum, satisque acerbum. Olim querela & posthumis dabatur l. 6. in pr. d. t. hodie non datur ex Dd. sententia ad N. us. Sed verius est ait Perez ad C. d. t. n. 7. etiam posthumis hoc remedium competere, cum eorum Exheredatio faciat subsistere Testamentum patris. & veteris juris decisio nusquam sit emendata, quæ proinde non est prohibenda stare. Non obstat l. 33. §. 1. d. inoffic Testam: quia non constituit, ut nulla sit ipso jure infantis ingrati exhereditatio, vel nullum sit Testamentum, quia in eum ingrati vitium non cadit: sed ait ex eâ scripturâ, infantem non repelli à querela inofficiosi Testamenti ita Vigl. j. tit. d. inoff. Test. in pr. n. 4. Datur quoque hoc remedium praeteritis à matre, quia Testamentum maternum non fit irritum praeteritione, cum non cogatur mater liberos instituere, quos non habet in potestate §. mater j. d. Exhered. Lib. unde per querelam rescindendum est. Hodiè communissimè putant, Justinianum in N. us. c. 3. pleniùs subvenire liberis, neque permittere, timere exheredare vel praeterire eos, sed nisi certa justaq; exheredandi causa expressa fuerit circa querelam, Testamentum pro nullo haberis, at cum causa adjicitur, tūm querelam adhuc posse proponi, ita tamen, ut objectæ causæ veritatem heres probet, quia Justinian. (1.) amplius licere parentibus non vult, quod olim sciebat salvo integroq; Testamento praeterire matri, & exheredare patri. (2.) quia N. us. c. 3. in fin. præjudicium generaretur, si querela adhuc locum haberet, in quâ liberi ex variis causis succumbere possent. Et hinc

hinc (3.) quod si adhuc hodiè tale valeret Testamentum, in quō filius exheredatus esset, injuria Exhereditationis nec hodie sublata fozet contra scopum & intentionem Justiniani, de quā testatur *N. uſ. c. 5. in pr.* (4.) Non observatā d. *N.* ab Intestate ex vi & potestate Constitutionis Successio locum habet, querela verò à cognitione judicis pendet. Imò (5.) frustranea esset Actio, in quā Actor nunquam succumbere posset, quia heres scriptus non nisi causā adjectā ad probationem tenetur *l. 30. in pr. C. d. Inoffic. Testam. N. uſ. c. 3.* Sed cā non adjecta neqve ad probationem suscipiendam, neque victoriam obtainendam spes superesse poterat. *Back. ad j. d. t.* Restriccio tamen ex predictis rationibus non videtur esse ex mente Imperatoris, nulla enim in Græcorum glossis ad hunc Titulum *ex π. Ἡ C. ἀντ τῷ βασιλικῷ* relatum correctionis mentio reperitur, nec de correctione notārunt, quicquam Græci Interpretes, qui in Constantinopolitanā Scholā eruditi veros Legum sensus per manus à majoribus acceptis scriptis non indiligerent tradidēre; Imò si aliquid ex jure veteri Justinianus emendasset ideo perspicuus, quoad hanc sententiam fuisset, quām in reliquis fuit. *Viglius ad tit. j. d. Inoffic. Testam.* Non tantū liberis, sed etiam querela inofficiis Testamenti parentibus competit *l. 1. & 14. d. Inoffic. Testamento*, nam et si parentibus non debetur hereditas propter votum parentum, & naturalem erga liberos charitatem, turbato tamen mortalitatis ordoine non minus piè eis relinquī debet *item l. scripto 7. Si Tabb. Testam. null. ext.* Non sic parentibus liberorum, quām liberis parentum debetur hereditas, parentes enim ad bona Liberorum ratio miserationis admittit, Liberos Naturæ simul & parentum communē votum. Rationem suppeditat *Arist. l. 8. Eth.* non quantum debetur, sed quantum effici præstariqve potest, amicitia postulat, neqz enim idem in usu omnibus in rebus, quod in cultu, qui Diis & parentibus debetur, usu venit, quibus parem nemo gratiam referre potest, itaqve qui qua potest, colit eos observantia, probus & pius habetur. Quā de causā non videtur filio parentem exheredare licere, at olim patri filium exheredare licebat, quod tamen sine causā non præsumebarur, præter amorem enim à Naturā insitum, humanitatis ratio postulat, ne illum nudum & omni præsidio desertum relinquat, at cavendum, ne improbum juvet, multi enim sciunt,

sciunt beneficia accipere sed reddere & referre, ut rem inutilem no-  
lunt. Cavendum quoque liberis, ne ad hoc remedium temere con-  
volent, præstat enim & sanctius est Testamentum Paternum patien-  
tiâ honorare, quam judicio convellere, quia sub colore furoris in-  
stitui debet, quod quidem de vero furore non dicitur, quia verè fu-  
riosus pro mortuo & absente sumitur l. 2. §. furiosos π. d. Jur.  
*Cod. P. Zacch. in q. m. l. 2. T. 1. q. 16. n. 521.* ignominiosum tamen  
est etiam colorem parentibus objici. Ultra Fratres  
& Sorores Querela non extenditur,

Viglius d. t.



Kc 3004

ULB Halle  
003 757 714

3



Bitte nach Ausleihe an  
Frau Richter 1  
Sammelbd. ? oder  
Ludwaffene Werte ?

10.02.12






# FarbKarte #13

B.I.G.

Black  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue



N. J.  
FATIO X.  
ETARUM  
SIUM  
RTI & CON-  
VERSI  
od. Testam. infir. d. in-  
Qual. & diff. iisqve titulis  
& x. respondentibus.  
Quam,  
ESIDE  
E CHRISTO.  
O **Goth**,  
D. & P. P.  
MICHAELIS,  
Halberstadiens.  
ONDENS  
e defendet  
ORIO MAJORI  
oc. LXXXI.  
OMONTI.  
EUSNERIANO.